



# PROGRAMMA FVNEBRE

QVOD

IMMORTALI MEMORIAE  
 VIRI MAXIME REVERENDI  
 EXCELLENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI  
 DOMINI

# GOTTLOB FRIDERICI IENICHEN

S.S. THEOLOGIAE LICENTIATI MORALIVM ET  
 POLITICES PROFESSORIS PUBLICI ORDINARI<sup>I</sup> ACADEMIAE DECEMVIRI  
 ACADEMICIS VILLIS PRAEFECTI COLLEGII MINORIS PRINCIPVM  
 SODALIS VIRI DE HIS MVNERIBVS INSIGNITER  
 PROMERITI

D. XIX. SEPTEMBR. A. CCCC XXXV. PLACIDA MORTE EXTINCTI

L. M. Q. DICAVIT

## ACADEMIA LIPSIENSIS.



Geleget in der Druckerei von Anton Joseph Schmid in Leipzig. 1790. Abdruck aus dem Nachlass des Verfassers.



**S**i nihil aliud fecisset Vir Maxime Reuerendus, Excel-  
lentissimus atque Amplissimus, Dominus GOT-  
TLOB FRIDERICVS IENICHEN, S.S. Theol.  
Licentiatus, Moraliumque et Politices Professor Pu-  
blicus, quam vt per decennium fere publicis Pro-  
grammatibus, nomine Academiae proponi solitis, rite  
concinnandis, operam suam Academiae addixerit:  
dignus omnino foret, vt EIVS memoria programmate publico ab ea-  
dem conseruaretur, qui, inter alia, nomine illius, memoriam tot viro-  
rum, bene de se meritorum, suo filio confignauit, atque ad posteritatem  
eius beneficio traduxit. De antiquis Philosophis relatum legimus, eos  
etiam in illis libellis, quos de contemnda gloria scriplerunt, nomen  
suum inscrisisse, in eo ipso, in quo praedicationem nobilitatemque de-  
spexerunt, praedicari de se ac nominari voluisse. \*) Noster IENI-  
CHENIVS, quanquam his programmatibus nomen suum haud inscri-  
psit, nec, ex more recepto, inscribere potuit: Academia tamen, suum  
cuique tribuens, et decus, quod promeruit, rependens, huius laboris, pro  
se exantlati, grate recordatur, et cuius calamo, subinde in memoria fuor-  
rum conseruanda vfa fuit, eius laudi memoriaeque perpetuae simili scri-  
ptione consultum cupit. Neque vero NOSTER hoc solo labore de Aca-  
demia bene mereri studuit, sed quum vniuersam vitae suae rationem illi  
consecrauerit, eius emolumenta docendo, disputando, eius redditus admi-  
nistrando etc. annis fuit: non vno nomine hac tabula, nostrae in EVM  
pietatis teste, memoriaeque NOSTRI IE NICHENH conseruatrice,  
dignissimus nobis esse videtur. Valere enim apud nos clarorum hominum,  
et de Republica bene meritorum memoria, etiam mortuorum, debet.

Natus est Noster GOTTLLOB FRIDERICVS, Euterizii, pago  
Senatorio prope Lipsiam d. xxvi. Martii A. c. 1580. Patre vsus est Viro  
admodum Reuerendo, Domino M. Georgio Ienichen, Ecclesiae Christi in  
dicto pago Pastore, qui, postquam quinquaginta et tres annos Hohenhei-  
dae et Euterizii munere sacro perfunditus fuerat, septuaginta et sex annos,  
et quod excedit, natus d. xii. Febr. A. c. 1618. vitam cum morte com-  
mutauit. \*\*) Matrem habuit Susannam Elisabetam, ex celebri Bal-  
duinorum gente prognatam, Friderici quippe Balduini, Med. Doct. ac  
Practici Pirnensis, filiam, et Friderici Baldumi, Theologi Vitembergen-  
sium eminentis, et post fata celeberrimi, neptem. Hi pui parentes No-  
strum IE NICHENIVM sollicite educarunt, doctrinae Christianae

prae-

\*) CICERO in Orat. pro Archia c. XI.

\*\*) vide eius vitam in Siculi Appendix III. ad Annales Lipsienses 1719. p. 218.

praecpta, a tenera aetate EI instillarunt, et, ne quid in educando et formando illo omitterent, EI et fratri EIVS *Gottlob Augusto Jenichenio*, postea I. V. Doctori, et in Consistorio Lipsiensi caussarum patrono dexterimo, praecceptores priuatos *Cellarium*, *Loescherum* et *Mayerum* praefecerunt, a quibus, praeter capita pietatis, fundamenta linguae Latinae et Graecae didicerunt. His feliciter iactis, NOSTER in Scholam Electoralem Portensem, priscae disciplinae sedem, ablegatus est, et, postquam per aliquod tempus ibi commoratus fuerat, inde in Gymnasium Altenburgense se contulit, vberiores in litterarum studiis profectus ibidem facturus. Neque spe sua excidit NOSTER. Vfus hic est coniuictu et contubernio *Friderici Frijii*, tunc Gymnaſii illius Con-Rectoris, postea Professoris bene meriti, ex cuius institutione et familiaribus sermonibus, in primis autem ex *Samuelis Grosseri*, Rectoris tunc Altenburgensis, nunc Görlicensis clarissimi, acroasis, intra triennium ita profecit, ut annos duodeuiginti natus A. cīcīc xcvi, ciuibus Academiae noſtræ adſcribi potuerit. Factum illud est a Viro Consultissimo atque Excellentissimo, Domino *Andrea Mylio*, Institut. Prof. Publ. Ordinis Iureconsultorum Adſeffore, Academiae Syndico, tunc autem Reſtore, et ab eo tempore NOSTER Academicis studiis totum se tradidit, atque in primis Philosophiae operam omnem impedit. Frequentauit autem praecipue scholas priuatas *Iohannis Gottlieb Hardtii*, Philosophi tunc celebris, ultra biennium, neque vero publicas *Valentini Alberti*, *Ioanuis Schmidii*, *Adami Rechenbergii*, *Ottonis Menckenii*, *Iohannis Cypriani*, virorum bene de studioſa iuentute promeritorum, neglexit. Fecit ſub tantorum virorum auspiciis haud poenitendos NOSTER in Philosophiae studio progressus, et ut eorum ſpecimen publicum ederet, A. cīcīc xcvi. d. xx. Nou. praefide *Iohanne Burchardo Menckeno* nostro, quem nominasse, eft laudaffe, ex cathedra Philosophica περὶ τὰς ἀρέσκοντος, ſive de eo quod placet, diſputauit, eodem anno Philosophiae et liberalium artium Baccalaureus, et, post duorum annorum decurſum, Philosophiae Magiſter A. cīcīc xcix. d. xxvi. Ianuar. ab ampliſſimo Philoſophorum ordine renunciatus. Antequam vero ad hos honores adſpiraret, cum Philosophiae studio ſanctoris disciplinae ambitum coniunxerat, et in *Güntherorum*, *Schmidiorum*, *Carpzouiorum*, *Seligmannorum*, *Ittingorum*, *Rechenbergiorum*, *Pippingerorum*, *Oleariorum* ſcholis diligens auditor adſederat, et adſedit deinde, philosophiae Magiſtri dignitate ornatus non minus frequenter, quam nihil in viuieris Theologia occurrat, quod ab his viris, et quidem folide, addisci haud potuerit. Eodem anno nonagesimo nono, quo Magiſter creatus fuerat, iura et priuilegia Magiſtri nostri diſputatione publica de *Genesimantia* d. xxxi. Maii ſibi vindicauit. Occationem huic argumento pertraſtando EI dederant fata pueri cuiusdam, Amſtelodami eo tempore viſi, cuius quippe circa pupillam alteram Hebraea vox וְיַהִי, circa alteram vero Latina verba: *DEVS MEVS* diſtincte conſpecta fuſſe dicebantur. Explorauit NOSTER huius rei veritatem ab Amſtelodamensibus eruditis, et ſcripturam iſtarum litterarum ex imaginatu matris, vt Medici loqui foſtent, columnae, imaginis aut libri cuiusdam, cui voces iſtae incſculptae aut iſertae fuerant, contemplatione, pueri, in vtero adhuc exiſtenti, impressam fuſſe, cum amicis Amſtelodamensibus ſenſit, ipsa Genesimantia per aetum, quo ex naeuis infantum extraordinariis partibusque monſtroſis, vel a Deo, vel nonnunquam a Diabolo, plerumque tamen ab ipſa natura productis futurarum quarundam rerum

*rerum p̄aedictiones conjecturaliter eruuntur*, definita et explicata. Anno sequenti c̄iōcc in cathedram Philosophicam denuo ascendit, et Respondente Valentino Godofredo Hercklizio, postea Haynensium Diacono, disputationem de cultu Heroinarum sago vel toga illuſtrium defendit, illustri et generosissimae Heroinae, *Christinae Reginae Laurentiae ab Adlershelm*, a Respondente inscriptam. Est haec *Christina Regina Laurentia* inter eruditas Lipsienses referenda, vna cum *Iobanna*, *Christiane Laurentii ab Adlershelm*, Consulis quondam Lipsiensis, filia, et *Wenceslai Weichardi*, Comitis ab Oppersdorff vxore, Erfurti A. c̄iōccLXXX. denata \*), e quibus Laurentius vnam CAROLVS PATINVS in Epiftola, A. c̄iōccLXXXIII. perscripta insigniter dilaudauit. \*\*) Sed redeundum est ad NOSTRVM IENICHENIVM. Vidimus EVM haetenus bis ex cathedra Philosophica disputantem, sed quum IS cognitionem rerum diuinarum et humanarum indissolubili nexus coniunxit: non intermisit huius sanctioris scientiae nonnulla etiam specimina ex cathedra Theologorum edere. Qui enim quatuor disputationes ex *Iohannis Olearii Synopsis* errorum Fanaticorum, tunc primum publicata, sub eius praefidio ex cathedra Theologica A. c̄iōccxcix. et c̄iōcc. respondendo tuitus fuerat: is A. c̄iōccci. duas disputationes Collegii Anti-Calviniani, a Job. Adamo Scherzero quondam adornati, et sub moderamine *Ioannis Schmidii*, r̄e manaḡr̄e, per modum disputationum, publicati, ex eadem cathedra masculine propugnauit. Quemadmodum vero in omnibus fere Rebus publicis sapienter constitutum est, vt honores non per saltum, sed ordinatim et gradatim petantur et conferantur: ita quoque in nostra ciuitate litteraria obseruatur, vt honores et dignitates Academicae nonnisi per gradus et peti et obtineri queant. Est inter illos titulus Assessoris ordinis Philosophorum. Hunc ut consequeretur beate defunctus, A. c̄iōccm. d. xxvii. Ianuar. priorem, et anno eodem d. v. Sept. posteriorem pro Loco, in Senatu Philosophico obtinendo publice defendit, et in vtraque *Deum in sensu externorum oeconomii palpabilem*, methodo, ad Mathematicorum rationem proxime accidente, demonstravit. Aude etiam sestatu est NOSTER alias illas proficiendi, profectusque suos explicandi vias, quae in nostra Academia parent, et nescimus fere, vtrum tot, tamque certae alibi inueniantur. Referimus huc Collegia illa amica, *Concionatoria*, *Philobiblicum*, *Anthologicum*. *Collegio Concionatorio maiori et antiquiori* nomen suum mensē Februario A. c̄iōccxcix. dedit, et A. c̄iōccxxiv. Senior eius honorarius Tabulam illam, qua indulgentia Regia, celebrationem primi sui sacralis indixit, adornauit, \*) *Collegio autem Philobiblico* a die XXI. Iunii anni c̄iōccxcix. usque ad xxv. Ianuar. c̄iōccxi. interfuit, et in vtroque multa specimina eloquentiae et Hermeneutices sacrae exhibuit, et ne qua in amoeniori litteratura proficiendi occasio ei decesset, A. c̄iōccci mense Martio *Anthologus* factus, flores ex omni eruditione collegit, et cum collegis suis amice communicauit, qui non minorem voluptatem ex IENICHENII manipulis percepserunt, quam IENICHENIVS ex aliorum floribus, et eorum sparsione hausit. Atque huius doctrinae, a tam excellentibus praceptoribus

\*) Vid. Tom. II. Diarii Biographici, ab Henningio Witte A. 1691. 4. Riga publicatum p. 124.

\*\*) In Libro Gallico, qui inscribitur: *Relations historiques et curieuses de voyages*, par Charles Parin p. 200. edit. Amstelodamensis Anno 1695. 12. publicatae. *J'y vis (à Leipzig) le Cabinet du Bourg-Maire Laurent, rempli de toute sorte de curiositez: Sa maison est un palais, qui vaut mieux, que son Cabinet. On estime Mademoiselle sa fille, comme une vertuuse par excellence, qui fait une infinité de choses, et qui les peut dire en beaucoup de langues.*

\*) Vid. eam in Siculi Annalibus Lipsiencibus Sect. XXII. ad annum 1724. p. 737.

bus, a tam doctis sodalibus collectae, et propria industria paratae, studiorum etiam iuuentutem participem fecit, camque, modo vniuersam Philosophiam, modo singularem eius partem, edocuit. Quo autem de eadem adhuc praeclarus mererit, et domi acquisita eruditionis praefidia apud exterorū locupletare posset: de itinere litterario sollicitus, occasionem peregrinandi non minus studiose quaesivit, quam felicissime inuenit. Inuenit autem hanc peregrinandi occasionem in domo patroni sui, *Ioannis Bohnii*, Ordinis Medicorum Decani, viri praeclare memoriae. Hic NOSTRVM IENICHENIVM fere sub initium studiorum academicorum in domum suam receperat, EIVSQVE fidei et curae tres liberos suos instituendos tradidit, quos etiam NOSTER ea fide, ea dexteritate, in studiis pariter ac moribus informauerat, vt postquam Magnificus *Bohnii A. cccc.* filium suum natu maiorem, *Christianum Michaelem Bohnum*, Iuris Vtriusque Doctorem, et postea ciuitatis huius Senatorem, sed praematura morte defunctum, ad exterorū ablegare constituerat: NOSTRVM IENICHENIVM itineris comitem ei adiunxerit. Suscepit hoc iter cum Bohnio suo, per magnam Germaniae partem, in Belgium, et inde in Angliam concessit. Perlustravit vrbes celebratissimas, Traiectum ad Rhenum, Lugdunum Batavorum, Amstelodamum, Londonum, Oxoniam, Cantabrigiam, Middelburgum, Antuerpiam, Bruxellas, ad quas castra quaedam Foederatorum tunc erant posita, Louanium, aliasque complures, et in iis in notitiam virorum, eruditionis laude florentissimorum peruenit. Conuenit ex Germanis *Fabricium*, *Schmidium*, *Molanum*, *Hermannum von der Hardt*, Abbates omnes, purioribus sacris addictos, illustrem *Leibnium*, Hannouerae tunc commorantem, *Polycarpum Leyserum*, *Iobannem Albertum Fabricium*, *Swelingum et Eggelingum*, *Iagenbolzum*, *Tollum* aliosque permultos. Videlicet in Belgio *Braunum*, *Vitringam*, *Rhenferdum*, *Lemoynum*, *Clericum*, *Limborgium*, *Surenbysum*, *Vossium*, *Honertum*, *Witsum*, *Markium*, *Salomonem van Till*, *Vitriarium*, *Perizonium*, *Poiretum*, *Leydeckerum*, *Roellum*, *Mastrichtum*, *Bodenum*, *Relandum*, *Bafnagum de Beauval*, *Baylum*, *Iuriaem*, *Bernardum*, *Gercomam*, *Papebrochium*, *Ianningum* aliosque. Videlicet in Anglia *Tennisonum*, *Canterburiensem* Archiepiscopum et Angliae Primatum, *Burnetum*, Episcopum Sarisburiensem, *Iobannem Morum*, Episcopum Noruicensem, *Floydios*, *Bentleium*, *Caeum*, *Allixium*, *Fleetwoodum*, *Sherlokum*, *Neutonum*, *Clarkium*, *Woodwardum*, *Whistonum*, *Hudsonum*, *Dodwellum*, *Pagetum*, et qui tum legati Regis Borussiae penes ANNAM, Magnae Britanniae Reginam, munus obibat, illustrem *Spanhemium*, *Ioannem Ernestum Grabium* aliosque complures, quos inter nonnullos se cum Magnifice *Boernerio*, Theologo apud nos Primario, tum inter Anglos itidem commorante, conuenisse, et colloquio suauissimo ab iis cum *Boernerio* exceptum fuisse, non sine voluptate, teste vita manu sua conscripta, Beatus NOSTER IENICHENIVS recordatus fuit. Praeterea nec eam itineris sui siue iucunditatem siue utilitatem in ultimo loco posuit, quod a *Papebrochio* et *Ianningio*, celeribus illis Auctorum Sanctorum post *Bollandum* auctoriibus, in Bibliothecam Iesuitarum arcana, quae Antuerpiae asseruntur, aliquoties admisitus, et cum variarum in religione sectarum, vt Mennonitarum, Quackerorum, Beckeriorum primoribus, in hoc itinere litterario multum conuersatus, doctrinam et cultum eorum interius pernoscere potuerit, quodque cum Londini, tum Hagae Comitum sermones quosdam sacros ad populum in Ecclesiis Euan-



gelicis habendi facultas non tam data quam imposita SIBI fuerit. A.  
cio 10ccvi sub finem fere anni ex itinere hoc redux factus ab ordine Philo-  
sophorum numero Adlesorum suorum adscriptus fuit. Ut vero ali-  
quis in Rempublicam litterariam ex hoc itinere fructus redundaret, argumen-  
tum aliquod circumspexit, in quo elaborando praesidiis illis, apud exter-  
tos diligenter conqueritis, vti posset. Innotuerat EI in Belgio *Frederici van Leenbos*, Ministri Ecclesiae Reformati Zwollenensis, liber, *den Himmel op Aarden*, h. e. Coelum in terra inscriptus, in quo *Benedicti de Spinoza* nefandos errores nouo labore recoquere elaborauerat. Hic liber  
pomum fere Eridos in Belgio ab anno huius saeculi III. erat, contra hunc complura scripta prodierunt, contra hunc variae Synodi congregatae fuerant, quarum Acta vna cum scriptis amoebaeis quum NOSTRO ad manus peruenissent: *Historiam Spinozismi Leenbofiani, publica in Belgio auctoritate dannati ex authenticis documentis* collegit, et Lipsiae A. c. 10cc viii. 8. publicauit, ab erudito orbe, magno applausu, iure quodam, exceptam. Aperuit NOSTER ab eo tempore Collegia, modo in vniuersam Philosophiam, modo in vnam alteramue eius partem, quas, priuata et priuatissima opera, verae sapientiae et bonae mentis cultoribus propinauit, opera SVA Actis nostris Eruditorum Latinis haud detracta. A. c. 10cc viii. Propylaeum sapientis et felicis Principis Serenissimo tunc Principi heredi Saxonie, nunc Poloniarum Regi potentissimo, patriae Patri indumentissimo, dedicauit, et A. c. 10ccx. editionem Lipsiensem Operum Philosophicorum Viri clarissimi, *Ioannis Clerici*, praefatione noua instruxit, in qua nonnulla de vita et scriptis eius differuit, a Clerico deinde ipso luculentius enarrata. Eodem anno post D. *Godofredi Nicolai Itigii*, Prof. Publ. obitum Collega in Collegio minori Principum sorte electus, totum se Academiae mancipauit, ambiguus antea, Ecclesiaene an Academiae opera EIVS a Deo destinata esset. Haec dignitas calcar addidit NOSTRO, vt in hoc stadio strenue decurseret, nihilque eorum intermitteret, quibus studiosorum commoda amplificantur. Edidit etiam per complures annos varia cum sacrae, tum profanae eloquentiae specimina, sed illud non plane prætereundum est, quod A. c. 10cc xii. ipso Paschatos festo primam concionem vespertinam in Templo Academicо habuerit. Eodem anno post immaturam mortem *Ioannis Christiani Schellii*, Professoris Moraliū et Politices Publici Ordinarii, et Ordinis Philosophorum eo tempore Decani, haec professio NOSTRO IENICHENIO a Facultate Philosophica, vti aliquoties antea, ita nunc legitime denominato, a Serenissimo Principe ac Domino, Domino CHRISTIANO, Duce Saxonie Weissenfelsensi, clementissime collata fuit, quam electionem vna cum reliquis Serenissimis Academiae Nutriciis etiam ratam habuit FRIDERICVS AVGVS-  
TVS, sempiterna memoriae Princeps. Auspicatus est hanc spartam oratione publica d. xx. Iulii A. c. 10cc xii. *de honestatis, iustitiae et utilitatis foedere arctissimo, velut genuino verae et unicae virtutis indicio*, et eidem praemisit programma *de veterum Philosophorum placito decantatissimo: Virtutem quoad essentiam et in se spectatam non nisi esse vnam*. Anno sequenti c. 10cc xiii. d. xxviii. Ianuar. sub EIVS praefidio dissertationem moralem *de fundamentis officiorum erga patriam*, IO. GOTTLIEB BOHN auctor et Respondens defendit, ipse vero d. xxx. Maii, die Schellii emortuali, memoriam Antecessoris SVI, in ipso Decanatu defun-

defuncti, oratione publica solemini celebravit; Artem etiam Criticam *Iohannis Clerici*, eodem tempore Lipsiensibus typis repetitam, noua praefatione ornauit, in qua de fatis artis criticae quaedam delibauit, et in primis obseruationes *Cl. Heumannii* contra hunc Clerici librum recensuit. A. c. 1500 XIV. d. v. Iulii venerandus Theologorum Ordo Licentiatum Theologiae ipsum vna cum sex aliis Candidatis renunciauit, postquam dissertationem inaugurem, qua *Historiam et Examen Bullae Anti-Quesnellianae* d. viii. Sept. A. c. 1500 XIII a CLEMENTE XI. promulgatae, exhibuit, viriliter defendebat. Fuit beatus *IE NICHENIVS* tertius ex nostrae religioni additus Theologis Bullae huius Pontificiae censor, post *Io. Guillerm. Iaegerum* scilicet, Theologum Tubingensem et *Joannem Frickium*, Theologum Vlmensem celeberrimum, et contra hos trium viros in primis *P. Bernardus Desirant*, Ordin. Eremitarum S. Augustini etc. *S. Augustinum vindicatum* septem Tomis 1721-1723. 4. Romae euulgauit, sed irrito conatu; ne quid dicamus de *Christophori Leopoldi*, Iesuita Augustani, Dissertationibus historico-Polemischis VIII. in quibus etiam *NOSTRVM IENICHENIVM* aliquando lacescuit, a Venerando Frickio in Zofino, in Clemente XI. rediviuo, confutatis. Docuit ab eo tempore, praeter Philosophiam, sanctorum etiam disciplinam eos, qui opera illius virtutis cupiebant, produxit quoque varios iuuenes in cathedralm, qui sub eius moderamine ingenii sui vires pericitati sunt, et quidem d. xv. Febr. A. c. 1500 XXI. *Io. Mich. Teutschberus de statu subditorum naturali in reliquis suis spectato*, A. c. 1500 XXXIV. d. xxviii. Dec. *Adrianus Stegerus*, Senator nunc Lipsiensis, de eo quod in sum ac decorum est circa voces et facetas et A. c. 1500 XXXI. d. xix. Ian. *Ioannes Christianus Broestadt de lapide Iacobi unde ad Genes. XXVIII, 18.* auctores et respondentes disputarunt. Munere Pro cancellarii et Decani ordinis sui aliquoties perfunditus est, et hac data occasione varia Programmata, ex historia philosophica in primis petita conscripsit et publicauit, inter quae haec fere praecipua sunt de *Socrate et bono patrefamilias et officioso marito* A. c. 1500 XXVI de *futilitate commercii papaveracei, Gallis actiones dicti, eiusdemque gravissimis, quae in rem publicam redundant incommodeis* A. c. 1500 XXX. de *Zeno* ne *Cittio* A. c. 1500 XXV. de *sententiis moralibus Epicuri* A. c. 1500 XXXIX Praepositura magna pagorum veterum Academicorum bis A. c. 1500 XXVI. et A. c. 1500 XXXIV. EI demandata est, sed ultima vice vicarium EI operam in hoc munere administrando praestitit *Cl. Orllobus*, Collegii minoris Principum socius. A. c. 1500 XXII. Deputatus Academiae Comitiis Provincialibus Dresdae interfuit, Programmata publica ab anno c. 1500 XXIII. quamdiu prospera valetudine vtebatur, conscripsit Magistratum Academicum bis gesit A. c. 1500 XXV. et A. c. 1500 XXXV. Vil lis Academicis A. c. 1500 XXVI. praefectus, Commissarius rei librariae, auctoritate Regia A. c. 1500 XXXVI. constitutus, et A. c. 1500 XXXII. Academiae Decemvir electus fuit. Administravit haec munera omni fide, studio, dexteritate, dignitate et grauitate, omniaque fecit, ne quid detrimenti res nostrae caperent. Fuit vir pius, iustus, sobrius, atque ea doctrinae et pietatis Evangelicae praecepta, quae in concionibus etiam sacris antemeridianis, e suggestu Academicu, ordine ita ferente, per complures annos, solide et ornate proposuit, et firma fide tenuit, ipsaque vita sua exprimere studuit. Quod ad vitae domesticationem attinet, in matrimonium duxit d. xxx. April. A. c. 1500 XV. virginem nobilissimam et omni-

omnibus, quae sexum suum decent ornamentiis condecoratissimam, Iohannam Margaretham, e gente Bublia. Sustulit ex ea quatuor liberos, unam filiam 1) Iohannam Fridericam, natam d. vii. Octob. A. ccccxxvi. 2) Gottlob Fridericum, natum d. viii. Octob. A. ccccxxviii. S. S. Theologiae studiosum. 3) Iacobum Benedictum, natum d. lxviii. Iun. A. ccccxxxvi. et denatum d. xxx. Iun. A. ccccxxxviii. 4) Theodorum Godofredum, natum d. xvi. Sept. A. ccccxxxix. Neque vero secundum modo hoc connubium, sed etiam suauiissimum et iucundissimum, nulla similitate, nulla discordia turbatum, sed sola suauiissimae huius vxoris morte disruptum est, quae ex EIVS brachiiis d. xxx. April. A. ccccccxxxix. erupta primum amantissimum maritum vehementer turbauit. Atque ab eo tempore vigor ille animi et corporis, quo NOSTER praeditus erat, fere aliqua ex parte deficere videbatur, certe anno sequenti A. ccccccxxxii. mense Iulio parua distorsione bulbi oculi versus canthus internum affectus fuit. Conquestus etiam est eodem tempore de infirmitate capitis, et de oculo ita laeso, quod omnia, quae videret, dupliciter cerneret. Quanquam vero ab experientissimo D. Küchlero huic spasmo tollendo idonea medicamina et adminicula chirurgica adhibebantur: nihilominus tamen is per aliquot hebdomas durauit, antequam penitus cessaret. Defecit etiam animi et corporis vigor, tempore succedente, magis magisque, comitabantur hunc defectum, hoc et anno praeterito, permagni spasmi et contorsiones dextri brachii, a quibus nec ipsum caput immune fuit. Et quum per duo fere annos ob infirmitatem hanc corporis pedibus incedere raro valeret, sed maximam partem sellae insidere cogeretur: iam ab aliquo tempore tumor pedum oedematosus conspectus fuit, qui quidem primo nocturno tempore, dum in lecto cubabat, cessauit, sed postea constanter remansit, nec tantum crura sed etiam femora occupauit, donec ante duos fere menses versus hydrops abdominalis vel ascites inde enascebatur. Succurrit quidem naturae, in quantum infirmitas corporis permisit, medicaminibus diureticis et laxantibus, artis salutaris consultus, et largum etiam serum ex dextro femore effluxit, sed aucta tamen in dies fere est vis morbi, reliquis viribus, infuscato horrore, cum ardore magno, paulatim ita debilitatis, vt tandem NOSTER malo succumbere, et animam suam exhalare coactus fuerit. Factum illud est d. xvii. Sept. post horam vespertinam septimam. Vixit NOSTER quinquaginta quinque annos, quinque menses, tres hebdomas, vnumque diem, et vita longiore dignissimus fuit, quam etiam pristinus hic animi et corporis vi or fere polliceri nobis videbatur. Sed fuit eheu! fuit IENICHENIUS NOSTER. Exuiae corporis EIVS d. xix. Sept. in Templo Academico repositae fuerunt, anima immortalibus illis mentibus, quae in confortio DEI TRINVNIVS ineffabili gaudio perfruuntur, statim associata. Neque tamen plane viuere defiit, sed viuuit NOSTER, et viuet in foetibus ingenii, aetatem laturis, in memoria nostra, in memoria gentis inclytæ, cui diuinum solatium et fausta quaelibet apprecaatur.

P. P. Lipsiae Domin. XVIII. post Trinitatis A. R. S.

cl. Icc XXXV.

L I P S I A E  
LITERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMIL



# PROGRAMMA FVNEBRE

QVOD

IMMORTALI MEMORIAE  
VIRI MAXIME REVERENDI  
EXCELLENTISSIMI ATQVE AMPLISSIMI

D O M I N I

# LOB FRIDERICI ENICHEN

GIAE LICENTIATI MORALIVM ET  
ORIS PVBLICI ORDINARIU ACADEMIAE DECEMVIRI  
LIS PRAEFECTI COLLEGII MINORIS PRINCIPVM  
S VIRI DE HIS MVNERIBVS INSIGNITER  
PROMERITI

BR. A. cccc cccccc XXXV. PLACIDA MORTE EXTINCTI  
L. M. Q. DICAVIT

# DEMIA LIPSIENSIS.

